



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindellicorum, 1708


Qvæstio II. In Tit. II. De Cohabitatione Clericorum, Et Mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

lige, si *lusus* fiat frequenter, publice, & cum scandalo populi; secus, si sine scandalo, & privatim, idque ex bonis patrimonialibus, vel etiam redditibus sui beneficii, in quantitate modica, spectato statu suo, & redituum copiâ, causâ recreationis, Coeterum nota, *lusum*, ubi *ars*, & *ingenium fortunæ prævalet*, non prohiberi Clericis; nec illum, qui consistit in *virtute corporis*; Sic Barbof. in *c. penult.* *h. t. n. 7.*

37 Præter hæc exercitiis hoc loco prohibitis annumeratur quoque *nimis jocularibus, & histrionibus intendere, c. non oportet, 37. dist. 5. de consecr. c. Presbyteri, 19. dist. 37. tabernas* (præterquam

ob necessitatem in itinere) frequentare, *c. 15. h. t. Secundo in templis exhibere, vel permittere ludos theatrales, & scenicos, si inhonesti sint, scurriles, & profani, c. 12. h. t. Et lege Casarea, in Authent. de Sanctissimis Episcopis c. ult. collat. 9. prohibitum est, ne quis in schemate, seu habitu Monachi, aut Monialis, vel alterius Personæ Ecclesiasticæ, theatralia exerceat, ludibrii causâ. Qui contra fecerit, corporalia supplicia sustineat, & exilio tradatur, gloss. ibid. V. monstra larvarum; quod etiam habet gloss. ad *c. 12. h. t. V. cod.* Sed de his plura tit. 50. Ne Clerici, vel Monachi.*



QVÆSTIO II.

IN TIT. II. DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

38 **T**otus hic titulus potissimum extendit, ut Clerici habitent seorsim à mulieribus, non tantum ut commodius evitent periculum incontinentiæ, cum earum consuetudo ei frequenter exposita sit; sed & pravis Laicorum suspicionibus, & obrectationibus hoc securius subducantur. Excipiuntur tamen. 1. Mater, & Soror, quod naturale foedus non admittat criminis suspicionem, *c. 1. h. t. Excipiuntur 2. mulieres, quas ætas, & vitæ probitas* ponit extra suspicionem, *c. interdixit, 16. dist. 32.* Si tamen suspicio criminis subsit; etiam illæ arcendæ sunt, quantumvis conjunctæ, *c. 1. h. t.* quod intelligendum etiam de ancillis, & pedisequis earum. Nam Ecclesia Ministros suos omni etiam suspitione liberos vult in materia puritatis. Et ideo *c. 1. h. t.* mandat, ut *femine non ad altare præsumant accedere, nec Presbyteris celebrantibus ministrare, nec intra cancellas stare, vel sedere illis liceat.* A fortiori autem arcentur Clerici à consortio concubinarum; hoc est, mulierum, quas domi retinent libidinis causâ. Et qui tales habent, suspenduntur ab officiis, *c. Præter, dist. 32.* & quidem ita, ut, si sint notorii, eorum missæ non sint audiendæ, nec Sacramenta ab

Tom. III.

illis accipiendæ, non quòd ea polluantur flagitiosâ sacerdotum vitâ, *c. fin. 15. q. 8.* Sed ne peccantes foveantur in fordibus impudicitia, & dum contemni se vident, ad frugem poenitentia, & meliorem vitam revertantur, *c. Vestra, 7. h. t.*

Clerici non abstinentes a vetita mulierum cohabitatione, præter dictam suspensionem ab officiis, *ex cit. c. Præter;* & prohibitionem, ne ab illis divina recipiantur, in dict. *c. fin. suspenduntur* etiam à beneficiis; & tandem, si moniti non corrigantur, *deponuntur, c. 4. & 6. h. t.* Et Clericus in Sacris, qui à suspectarum cum ipso mulierum colloquio, vel consortio, post trinam monitionem non abstinet, *excommunicandus* est; foemina verò canonicè puniendâ, *c. si quisque, 2. h. t.* de qua poena Canonica Barbofa *ibid. n. 4.* Nemo tamen cogitur abjurare concubinam, ne per carnis fragilitatem via perjurii aperiat, *c. 3. h. t.* Et quoniam utriusque sexus puritati, sublata illecebrarum occasione, consulendâ, etiam Prisci Legislatores *discretas mulierum, ac Vivorum mansuetas* esse voluerunt, ut fuisse diversorum scriptorum testimoniis probat Gonzalez in *c. 1. h. t. n. 10.* à fortiori hoc tenendum est in Clericis; cum eos purior vitæ Sanctimonia deceat, quos non à crimine

tantum, sed à criminis etiam suspicione alienos esse oportet. Unde tot Ecclesie legibus ablegatas legimus extraneas foeminas à ministerio domestico Clericorum: atque ob majorem securitatem, & ut omnis prava suspicio tolleretur, statutum fuit, ut tam Episcopi, quam Clerici secum testes rei domestice haberent, & coram eis tantum possent alloqui foeminas, *c. Clericus* 20. *c. Clerici*, 32. *cum sequenti*, 81. *dist.* Concilium Brachar; 3. *can.* 4. Matifcon. *can.* 3. *ibi*: *Nulla mulier in cubiculo Episcopi, absque duobus Presbyteris, aut certe Diaconis, ingredi permittatur.* Alia congerit Antonius Augustinus *l. 6. tit.* 32.

Dices: Sacerdotes non tantum inter-
40 nis virtutibus ornati esse debent; sed etiam externò earundem decore gravitatem ostendere, actionesque suas ita componere, ut aliis rectum præbeant *exemplum*: ergo illis prohiberi non debet *cohabitatio mulierum*, cum ista illorum sancta conversatione vitia fugere, & ad meliorem vitam frugem converti possint. Nam *Sancta conversatio confundit inimicum, & aificat proximum, glorificat Deum*, ut ait D. Isidorus *l. Soliloq.* quo etiam respexit *c. Pervenit*. 2. *q. 7. & c. Inter, de Purgat. Canonic.* Deinde hoc exigit *necessitas ad obsequia domestica*, quæ à viris nec ita commodè, nec exactè fieri possunt. *Et N. confeg.* idque propter nimia pericula, quibus in hac materia obnoxium est humanum genus, ut experientia constat. Nec obstat *c. Pervenit*; ibi enim solum agitur de Episcopo, qui Presbyterum quendam, post lapsum, in suis adhuc iniquitatibus volutatum, retinere dicebatur; cujus cohabitatio non habebat periculum inducendi Episcopum in lapsum; sed potius, ut ille ad frugem

reduceretur; *c. Inter*, non favet præsentis casui; cum solum agat de familiaritate cum *hereticis*. Necessitas autem obsequiorum, quæ communiter à mulieribus præstari solent, expediri possunt per tales, quas ætas & morum probitas extra suspicionem ponit, ut supra dictum est.

Præter hæc *not.* 1. cum quandoque contingat, quòd *Clericus habeat mulieres propinquas*, quas sustentare debet, *in cit. c. 1. h. t.* de illis præscribi, ut habeat *in vico*, aut *in villa* extra domum, longè à Presbyteri conversatione, & ei ibi subministret, quæ necessaria sunt, intellige, si propter suspicionem domi eas retineri non deceat.

Not. 2. in *c. Sicut*, 4. *h. t.* prohiberi, ut Clerici *fornicariis* in suis domibus habeant; per quas videntur intelligi mulieres, quæ sub fornibus tabernas à fisco conducunt, ut ibi merces suas venales habeant, instar opificum, qui *fornicarii* dicuntur, de quibus Pereyra *in Elucidar.* n. 1510. quamvis rectius dicantur *concupinae*, ut colligitur *ex c. 5. & 6. eod.* *Not.* 3. iisdem prohibitum esse habere mulieres *superinductas*, *c. Interdixi, dist.* 32. per quas ait Gonzalez *in c. 1. h. t. n.* 14. intelligi, non uxores, nec concubinas, sed tertii cujusdam generis, quas secum Clerici non sobolis suscipiendæ gratiâ, sed pietatis studio, aut prætextu, fovebant. *Denique* etiam *sorores adoptivas*, hoc est, foeminas, quas ad eludendum canonem Nicœnum (relatum *in dist. c. Interdixit*) Clerici secum retinebant sub nomine *sororum*, seu *Agapetarum*, de quibus Concilium Ancyran. *canon.* 16. *ibi*: *Virgines autem, quæ conveniunt cum aliquibus, tanquam sorores, habitare prohibemus*; quòd sub simulatis hisce nominibus lateat simulata Veneris nequitia.

QVÆSTIO III. IN TIT. III. DE CLERICIS CON- JUGATIS.

Hoc titulo resolvitur, *an & qua ratione liceat Clericis Uxorem ducere, illique cohabitare? an tales Clerici conjugati teneantur deferre tonsuram, & habitum Clericalem? an sint capaces beneficiorum*

Ecclesiasticorum, vel, si prius habuerunt, retinendorum; vel noviter acquirendorum? an gaudeant privilegio Clericali? quo titulo Clericus in Sacris nequeat validè matrimonium inire?

ARTI.